

mentis, & inconsiderationem ponit filias luxurie. Apostolus denique animalem hominem non sapere ea, quæ sunt spiritus Dei, quoniam stultitia est illi, & non potest intelligere palam docet 1. Cor. 2. Et sapientiam mundi, quæ prædictis tribus consistit, stultitiam fore apud Deum 1. Cor. 3. Hæc ergo decline mus, & nostræ salutis intendentes noxiâ ignorantiæ pellamus, Deo cognitione, & amore appropinquemus, ut sic non cum excusantibus mundi seruitoribus excludamur, sed cum pauperibus, debilibus & à mundo despectis, æterni conuiuii mensæ coniugamur. Quod ipse præstare dignetur, qui cœnam ipsam instituit, & ad eam omnes peccatores vocare venit, Christus dominus noster cum patre, & Spiritu sancto Deus in secula benedictus, Amen.

DOMINICA II. PEREGRINATIONIS. Sermo. I.
in ordine. LIIII.

GAUDIUM est angelis Dei super vno peccatore penitentiam agente. Luc. 15.

De gaudio angelorum super peccatore penitente.

Magnam valde affert peccatoribus iucunditatem illud saluatoris nostri dictum, dum angelicum gaudium de peccatoris conuersione, & exemplis, & parabolis nobis proponitur, quibus saluati non nos erudit peccatores, quorum inculta nobis est conuersio, & incerta non debere despiciere, sed ad conuersionem benignè suscipere, & ad hoc posse tenus opem, & auxilium præstari, ita tamen, quod eorum vitia non palpeamus, aut leuiter nimis agendo dissimulando foueamus. Hoc enim Christus hic fecit, recipiendo ad se peccatores, & publicanos, & cum eis manducando. Venit enim filius hominis querere, & saluum facere, quod perierat. Matth. 18. Gaudium quoque angelicum ad hoc nos inuitat. De quibus dicitur, quod gaudent super vno peccatore penitentiam agente. Sat enim fuisse infinitæ bonitatis Dei, id ipsum solo verbo astruere, sed

ex abundanti misericordie sinu voluit hoc factum & parabolis manifestum facere. Ad maioris gaudii cumulum, atque maioris credulitatis firmamentum, ut sic quod verbo protulit, factum, & exemplo manifestum faceret. Quis enim salutus audis non toto lætetur affectu, cum se tanti esse conspicit apud summos illos cæli ciues, quod licet ineffabili gaudio ex faciali diuinitatis aspectu semper sint repleti (teste Christo Matthæi 18. Angeli eorum semper vident faciem &c.) nihilominus peccatorum perfectio, & conuersio nouam eis ingerit lætitiæ causam? Immo ad habendam vitæ conuersionem nobis sedulo ministrant? Sunt enim administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis. Hebr. 1. Sed forte inquis. Si angelus de peccatoris conuersione gaudet, ergo ut videtur, complaceat sibi peccatum, quia gaudium non est nisi de placito, & volito, & ita peccaret, cum tamen est in bono confirmatus, quia beatus. Præterea cum beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, cum iam gaudent de aliquo, de quo prius non gaudent, intenditur eorum gaudium, ut videtur beatificum, & ita non fuere verè beati. Præterea sicut nec meritum eorum, ita neque præmium nunc crescit, & augetur, ergo falsò videtur dici, Gaudium est angelis &c. Vel dic, quis sit horum verborum intellectus clarus, & catholicus. Solutio breuis. Negando sequelam, conceditur, quod gaudium est de volito. Non autem volunt angeli peccatum, sed detestantur ipsum, & quia detestantur volunt peccatoris conuersionem, & de illa, que est peccatoris iustificatio & gratiæ infusio, gaudent, & lætantur, non de peccato. Peccatoris enim conuersione diei peccati detestationem, & abiectionem, hanc autem volentes non peccant, sed rectè volunt. Ad secundum dicitur, admissio, quod gaudium accidentale beatorum intenditur, nihilominus sunt verè beati. Beatus enim est secundum Augustinum qui habet, quicquid vult, & nihil mali vult. Cum verò dicitur

Quo an
ge usau
det de
peccato
re.